

art. V. *Quicquid extat in S. litteris, quod peccata arguit, id revera ad legis (proprie dictae) concionem pertinet. Evangelium (stricte dictum) non est concio penitentiae arguens peccata, sed laetissimum quoddam nuncium, et concio plena consolationis, non arguens aut terrens; quandoquidem conscientias contra terrores legis solatur, easque in meritum Christi respicere jubet, et dulcissima praedicatione, de gratia et favore Dei, per meritum Christi impetrato, rursus erigit.*

§. IV.

Beneficia circa  
leges,

Sicut vero in universum, non obstante discrimine legis etiam humanae a beneficiis Summi Imperantis, dantur beneficia circa leges, et leges circa beneficia; ita mirum etiam videri non potest, dari beneficia divina circa leges divinas, et leges divinas circa beneficia Dei, nominatim circa Evangelium. Dari beneficia Magistratus humani circa leges et per leges ad cives redundantia, nemo dubitabit, qui meminerit, salutem populi supremam legem et cynosuram esse omnium legum civilium, atque haud postremam esse civium felicitatem, si legibus regantur statui suo prudenter attemperatis, perspicuis, non nimis multis, non nimis difficilibus; si non hujus tantum sed futurae etiam ipsorum vitae felicitas salutaribus legibus praeparetur et muniatur; si legum auctoritas intemerata servetur. Pro tali circa leges cura Magistratui suo immortales se debere gratias cives haud insipientes lubentissime fatebuntur. Neque minus perspicuum est, dari etiam beneficia divina circa leges divinas: ita e. g. David divino agitated Spiritu Deo gratias agit Psalmo CXLVII. quod *indicat verba sua Jacobo et statuta sua Israel. Non fecit ita ulli genti, ideoque jura ista non noverunt. Hallelu-Jah.* Leges Dei datae sunt, et ab hominibus adhuc integris eo applicari poterant, ut *faciendo eas viverent.* Levit XVIII. 5. Luc. X. 28. Nullum tamen est hujus obedientiae meritum: *Si enim feceritis omnia, quae edicta sunt*

*sunt*